

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1495

Autre(s) référence(s) : Fauroux 49 / Tabuteau 140 / Round 702

Auteur(s) : Richard II, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : [1022-1026]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard II donne au monastère du Mont-Saint-Michel l'abbaye (abbatiam) de Saint-Pair dans le pagus de Cotentin avec ses dépendances, limitées à l'est par la voie publique de Coutances, au nord par la rivière de la Venlée, au midi par le ruisseau du Thar, à l'ouest par la mer avec l'île de Chausey ; il donne le domaine de Chanteloup avec l'église ; des biens à Bricqueville, Flamanville et Lengronne ; la moitié d'Hérenquerville ; une terre à Vesly ; une autre à Jersey ; la Colombe sise dans le même pagus ; la terre de Bernard, père de l'abbé Hildebert, à Rotoloi ; le domaine de Verson, dans le pagus de Bayeux avec les églises ; la moitié de Mondrainville attenante à ce domaine. Richard confirme en outre la donation de Bretteville [-sur-Odon] faite par [Gunnor] sa mère, sur son douaire.

Il restitue aussi les donations de son aïeul Guillaume Longue-Épée, enlevées ensuite par le comte Robert, à savoir les parcelles de domaines (villulas) de Moidrey, Charcey, Marigny, Curey, Forge, Soligny, Dameigné, Macey, Les Challiers, Peleton, la moitié de Cormeray, Vergoncey, Meigné, Saint-Jean-le-Thomas, avec les églises, Le Mesnil-Ranger dans le val du château de Mortain.

Richard II abandonne ses droits sur l'entrée et le passage des marchands. Il donne l'église Saint-Pierre, sur le côté du Mont, avec la liberté pour l'abbé ou les moines d'y établir les clercs de leur choix, et de les priver de leurs fonctions s'ils se révèlent indignes. Il renouvelle l'abandon des coutumes duciales et épiscopales du Mont-Saint-Michel, déjà concédées par Richard Ier, avec la confirmation du Pape afin que les moines aient juridiction sur tous les habitants du bourg, sans contestation possible de la part du duc ou des évêques d'Avranches. Dans le cas où les moines négligeraient leurs devoirs, il appartiendrait au duc de Normandie, conseillé par l'archevêque de Rouen et les grands de la province, d'y porter remède. En ce qui concerne l'ordination des abbés, moines et clercs, selon la décision de Richard I, approuvée par le concile Romain, les moines s'en remettront aux élections et confieront ensuite à un évêque du voisinage le soin des ordinations soit au siège de l'évêché, soit au monastère même.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces justificatives, p. 6, n° 5 (extrait).
- b. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, t. 1, p. 5, n° 3.
- c. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 49, p. 158-162.

Dissertation critique

Cet acte est postérieur à l'année 1022, le début probable des évêques Robert, de Coutances, et Herbert, de Lisieux ; le règne du duc Richard II, 996-1026. Voir M. Fauroux, p. 160.

Texte établi d'après c

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Antecessorum nostrorum institutionibus sancitum decretumque est quatinus, si quis suarum facultatum quiddam loco sanctorum alicui, vite superne accensus amore, perhenniter possidendum tradere voluerit, sollempne exinde idonearum personarum plurimis astipulationibus fulcitum, ut id inconvulsum permaneat, testamentum faciat. Referentibus enim quam plurimis sancte Dei æcclesie doctoribus, divinum esse preceptum didici, ut illic nostri reconduantur thesauri ubi omnis aberit furum formido omnisque tinearum demolitio, esseque quoddam peccatorum purgatorium elemosinam, et quod Deus in largiendo munificos exposcit, qui se in retribuendo preparat munificentissimum. Detur igitur Deo non nostrum, sed suum. Quid enim aliud nos habere putamus quam quod ab eo accepimus ? Tribuatur frigidæ aquæ calix, ut eterna recipiatur merces. Tanti valere regnum audimus Dei quantum habemus. Sufficit vidue quadrans. Profuit et Zacheo bonorum dimidium distributio. Quæ denique ad id quod finitur ad id quod non finitur comparatio, scilicet pro terrenis cælestia, pro perituris mereri perpetua. His et aliis divine auctoritatis incitatus hortamentis, ego Richardus, gratia Dei dux et princeps Normannorum, penas inferni cupiens effugere et paradysi gaudia desiderans habere post mortem corporis, loco sancti archangeli Michaelis, sito in monte qui dicitur Tumba, fratribusque ibidem Deo monastice famulantibus, trado abbatiam Sancti Paterni, sitam in pago Constantino, cum terris cultis et incultis, cum ecclesiis et molendinis, cum pratis et silvis, quæ terminatur ab oriente via publica tendente Constantias, a septemtrione rivulo nomine Venleia, a meridie fluviolo nomine Tarn, ab occasu mare Oceano cum insula quæ dicitur Calsoi. Do etiam villam quæ dicitur Chantelou, cum ecclesia et molendino, cum silvis et omnibus appendiciis, terram quoque Grimaldi quæ sita est in Briquevilla et in Flamencvilla et in Lengrona, et medietatem Eregartville, terram etiam Durandi, quæ est intra terminos ville quæ nuncupatur Verlei, et terram Petri monachi quæ est in insula Gerso, Columbam iterum sitam in eodem supra nominato pago, cum ecclesia et molendino, et cum silvis, terram etiam Bernardi, patris domni Heldeberti abbatis, quæ est in territorio ville quæ nominatur Rotoloi, cum molendino et pratis. Trado etiam donatione perpetua quandam villam sitam in pago Balocasio, nomine Versum cum omni terra quæ ad eam pertinet culta et inculta, cum ecclesiis et molendinis omnibus et silvulis, medietatemque villæ Mondretvillæ, quæ huic adjacet terre. Confirmo insuper donationem matris mæe de Britavilla, quam de suo dotalitio loco superius dicto obtulit, pro patris mei suaque salute, ac mea meorumque fratrum. Villulas quoque quas avus meus Willelmus in pago Abrincatino Sancto Michaeli tradidit, sed Robertus comes postea vi abstulit, reddo, quæ his vocitantur nominibus : Maldrei, Carcei, Marrinnei, Curei, Forges, Solinnei, Dummannei, Macei, Scallei, Peleton, dimidium Cromeret, Verguncei, Mannei, Sancti Johannis iterum villam prope litus maris sitam, cum ecclesia et vineis et molendino et pratis, et villam in valle castelli Moretoin quæ dicitur Maisnilranger, do teloneumque tocus abbatis et de mercatoribus venientibus et pertranseuntibus. Monasterium etiam Sancti Petri apostolorum principis, situm in latere Montis ipsius, tribuo, ea lege ut abbas vel monachi ibidem, pro mea meorumque filiorum salute, clericos constituent, quos voluerint. Si quem autem ex illis sordide aut negligenter res sanctæ Dei æcclesie tractare perspexerint, potestatem habebunt divinum officium ei interdicens et, nisi correxerit, eo deposito, alium in illius locum subrogandi. <Omnes ad postremum consuetudines ipsius villæ, tam ad me quam ad Abrincatensem episcopum pertinentes, sicut sanctæ memorie pater meus Richardus auctoritate Romani pape constituit perpetualiter possidendas, tribuo, ea ratione ut in omni successura generatione abbas vel monachi ipsius Montis, omnes leges omnesque forisfacturas clericorum ac laicorum, virorum ac mulierum ejusdem burgi, absque calumpnia cujusquam nostrorum successorum seu predictæ sedis episcoporum, possideant, et queque corrigenda fuerint, corrigant. Qui si in aliquo a rectitudinis tramite, quod quidem absit, deviaverint, curamve animarum incolarum loci neglexerint, jam dicte sedis episcopus, sive Deum timentes vicini in noticiam hoc deferre curent principis qui illis temporibus Normannorum dux fuerit, ad quem deinceps pertineat corrigere ea, consilio Rotomagensis archiepiscopi ceterorumque optimatum provincie. Porro de ordinatione abbatum vel monachorum sive clericorum loci, hoc decernimus ut, juxta quod a supradicto meo genitore sancitum est generali assensu Romani concilii, monachi sepefati monasterii ordinandos sibi eligant et, ut sibi placuerit, a quolibet episcopo sue vicinitatis, aut in illius sede, aut in suo monasterio ordinari faciant. Hæc omnia prenotata Deo Sanctoque archangelo Michaeli in ejus predicti Montis monasterio placuit tradere, pro mæe redemptione anime, pro mei quoque patris vel matris

et uxoris filiorumque meorum Richardi et aliorum salute quorum voluntate consensuque id ago, sub testimonio Christi tociusque æcclesiæ, eo tenore, ea lege, ut absque calumpniatione seu contradictione omnium succedentium sive parentum seu quorumcumque aliorum, prefatus locus et habitantes in eo habeat, teneat, possideat. Quod si aliquis diabolice pravitatis telo jaculatus, qualicumque modo his calumpniationis vim inferre presumpserit, ipse consentientesque sibi tocius excommunicationis atque maledictionis, cum Juda traditore et Dathan et Abiron, perhennibus perhenniter irretiatur vinculis. Ut autem hujus donationis auctoritas verius credatur, et diligentius per omnia conservetur, firmitusque futuris teneatur temporibus, manu propria subter firmare curavi fideliumque meorum nomina, quorum consensu id egi, subscribi imperavi. Signum + Richardi comitis. Signum + Richardi filii ejus. Signum + Rotberti filii ejus. Ego Mangisus, sancte Abrincatensis æcclesiæ episcopus, hanc donationis cartulam manu propria voluntariæ confirmo +. Robertus archiepiscopus, Hugo episcopus Baiocacensis, Rotbertus episcopus Constantie, Hugo episcopus Ebroicensis, Herbertus episcopus Luxoviensis, Niellus vicecomes, Tursten vicecomes, Alveredus vicecomes, Walterius vicecomes, Richardus vicecomes, Guimundus vicecomes, Hubertus, Osbernus frater comitis, Hunfredus frater ejus, Roscelinus, Normannus Silveron, Bernardus filius ejus, Osbernus filius Arfast, Rannulfus frater ejus, Hugo clericus, et multi alii.